



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Opus ultra suam facultatem aggrediens tanquam præsumptuosus,
maximum incurrit vitium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

ditores, aut animarum fructum de quo est magis sollicitus, si fructuose aut si gratiose auditur, & sic cognoscet quanta rectitudine vel perversitate affectus tenetur: ac per hoc quantum peccat: quia quanto magis sinister oculus ipsum sollicitat quam dexter, tanto magis sibi met homo mentitur, tribuens sinistro oculo illud in quo dextri sollicitudo superatur.

Ad hoc autem caput spectant quæcunque gestulationes, cantilenæ, & huiusmodi, quæ fiunt ut placeant hominibus. Sextum est, immiscere prædicationi facetas fabellas delectandi gratia. Quod beatus Ambrosius reprehendit: quia non debent in tam graui actione de rebus tam arduis qualia sunt diuina, verba immisceri iocosa & ridicula. Communiter autem est hoc veniale: cauendum tamen ob reuerentiam diuini verbi.

Prælatorum peculiaria peccata vide in verbo, Episcopus.

Præscriptio quandoque licita quandoque illicita est.

Præscriptio legitima. (hoc est cum bona fide possessio tanto tempore ut iura canonica approbat &c.) ius parit in foro conscientiae: ita ut sine peccato post retineatur etiam si postea sciatur fuisse alienum: quia auctoritate legum rationabilium (utpote pro communi bono sancitarum) factus est dominus præscriptarum legitimè rerum.

Opus ultra suam facultatem aggrediens tanquam præsumptuosus, maximum incurrit vitium.

Præsumptio (qua homo actu interiore vel exterioriore aggreditur opus excedens suam facultatem quasi non excedat, sed sit sibi commensuratum) peccatum

Et 3 tum

tum est, utpote contra rectam rationem. Et quia facultas quandoque consistit in scientia (ut medicina, & in cura animarum, & vniuersaliter in artibus) præsumptio est ignorantem medicinam velle medicare corpore, & nescium sacrarum literarum velle medicare animas, sicut in cæteris artibus accidit, ignorantibus similis præsumptio. Quandoque verò consistit in potestate ordinis vel iurisdictionis: & sic præsumptio est diaconum velle dicere Missam: aut non iudicem velle iudicare, aut laicum iudicem velle iudicare clericos. Quandoque autem consistit in habitibus virtutum, seu dispositionibus earundem. Et si præsumptio est in peccato communicare, aut incipientem velle facere ea quæ sunt præfectorum, ut quotidie celebrare, arguere alios, conuersari securè cum mulieribus, velle vacare assidue contemplationi, non dormitus adhuc passionibus, & similia. Est autem peccatum præsumptionis quandoque veniale, quum scilicet nulli est perniciosa seu iniuriosa. Et quandoque mortale, quum scilicet iniuriosa est alteri: qualis est præsumptio medici in damnum corporis: & similiter præsumptio confessoris ignorantis, & iudicis, & similia.

Peccatum præsumptionis grauissimum est.

Præsumptio rursus qua homo sperat aliquid posse consequi à Deo, quod impossibile est secundum diuinam legem ab illo consequi, peccatum est contrarium secundæ virtuti Theologicæ, quæ vocatur Spes & contrarium desperationi: ut quum quis speret consequi peccatorum veniam sine pœnitentia, aut æternam gloriam sine meritis. Et hoc est peccatum mortale: utpote derogans diuinæ dispositioni, qua decretum est non dari veniam perseuerantibus in peccato, nec gloriam sine merito. Et est vnum de peccatis